

Obs. 1. Ill. *Blume in litt.* de genere CALAMO nos optime monuit: „Genus hocce, maxima e parte asiaticum, procul dubio specierum est ditissimum, quae vero ob vegetationem simillimam difficillimae sunt distinctae. Quaedam, quarum spadices spathis communibus muniuntur, ut genera propria a CALAMIS sunt segregandae.“ Ad species hasce pertinet: CALAMUS niger Willd., qui ad DAEMONOROPEM, genus novum ad DIOECIAM referendum, spectat, quod ill. *Blume in litt.* condidit et cuius characterem sequentem benigne communicavit: „DAEMONOROPS. *Spathae* plures, completae, deciduae. *Flores* sessiles, spicati, dioici. *Cal.* urceolatus, tridentatus. *Cor.* profunde tripartita. *Masc.* Stam. 6, filamentis basi monadelphis. *Antherae* lineares, utrinque emarginatae, dorso affixae. *Rudimentum* pistilli nullum. *Fem.*: *Germen* triloculare, urceolo staminifero sterili cinctum. *Styl.* brevis. *Stigm.* 3, recurvata. *Bacca* tessellato-corticata, monosperma. *Albumen* ruminatum. *Embryo* subbasilaris. *Veget.* Species unica habitu prorsus cum CALAMO congrua, sicut genus a CALAMO non differt, nisi spathis compluribus completis, spadice ramosissimum ante anthesin perfecte involventibus, sub grossificatione demum deciduis. Cujusdam quoque momenti ad distinctionem genericam videtur albumen ruminatum, quod in plerisque CALAMORUM javanicorum intus aequabile, extus tuberculatum est; attamen CALAMUS oblongus, quoad albuminis structuram, potius ad DAEMONOROPEM accedit, et a caeteris CALAMIS etiam inflorescentiam nonnihil discrepat.“ Species unica hujus generis clo *Blume* nota est DAEMONOROPS melanochaetes *Blume*, de qua cls *Blume in litt.* monuit: „Caudex ad 150 ped. longus, crassitie brachii infantis, funibus aptissimus, tectus, uti spatha externa, setis longis confertis rigidis nigro-fuscis appressis. Rhachis fusco-tomentosa, setis sparsis aculeisque solitariis, aut geminatis ternatisve, patentibus v. deflexis vestita. Foliola frondium pinnatarum lineari-lanceolata, trinervia, setis sparsis obsessa. Spadices laterales, ramosissimi, demum nuntantes. Fructus globosi. Verisimile videtur *Palmijuncum nigrum Rumph.* *Amb.* V. t. 52. s. CALAMUS nigrum Willd. huc spectare“ CAL. niger, aculeis caudicis et frondium horizontalibus; spadice coarctato, pendulo; Willd. *Spec.* II. p. 203, (ad quem pertinet CAL. Rotang β Linn. *Spec.* p. 463), aculeis caudicis horizontalibus; foliolis latioribus et fructibus ovato-globosis abudere videtur a DAEM. melanochaeti. Expositionem ulteriorem et descriptionem specimenis ab ill. *Blume* benigne communicati dabimus in Dioecia.

Obs. 2. CALAMUS maximus Reinw. aliud est genus, quod ill. *Martius* nomine PLECTOCOMIAE in *Gen. et Spec. Palm.* adhuc ineditis constituit. Quamvis ad DIOECIAM pertineat, liceat hic ob magnam cum CALAMO affinitatem characterem ab ill. *Blume in litt.* datum subjungere. „PLECTOCOMIA Mart. *Spathae* plures, incompletae, squamiformes. distiche imbricatae. *Flores* subsessiles, spicati, dioici. *Cal.* urceolatus, tridentatus aut trifidus. *Petala* 3 basi cohaerentia. *Masc.*: Stam. 6; filamentis subulatis, ima basi cohaerentibus. *Anth.* lineares, dorso affixae. *Rudimentum pistilli* nullum. *Fem.*: *Germen* 3-loculare, urceolo staminifero 6-fido cinctum. *Styl.* subnullus. *Stigm.* 3, subulata. *Bacca* squamen deorsum loricate, 1-sperma. *Semen* carne succulentum involutum. *Albumen* aequabile. *Embryo* basilaris. *Veget.* Unica hujus generis, quam novimus, species habitu exacte cum CALAMIS congruit, tantummodo robustior; caudice elongatissimo, sarmentoso; frondibus maximis, pinnatis; rhachi superne aphylla, dorso spinis dimidiato verticillatis recurvis operata. Inflorescentia lateralis, ramosa; ramis longissimis, caudiciformibus, tectis spathis numerosis distiche laxaque imbricatis, rotundato-ovatis, coloratis, quarum singulae spicam ramosam condunt. — E characterem modo indicato luce clarius patet, genus hocce a CALAMO parumper differre, nimirum spathis distinctioribus, incompletis, squamarum instar spicas ramosas convestientibus et albumine aequabili. Forma enim et vestitus squamarum germina fructusque tegentium, notis genericis haud est habilis.“ Species unica est PLECTOCOMIA elongata Mart., ad quam pertinet CALAMUS maximus Reinw. et cuius descriptionem ad specimen ab ill. *Blume* benigne communicatum serius dabimus.

Obs. 3. CALAMUS Zalacca Gaertn. est genus proprium ad DIOECIAM pertinens, quod cls. Reinwardt in *Syll. Pl. in Flora.* II. p. 3. condidit, et ill. *Blume in litt.* recepit. Ob magnam cum CALAMO affinitatem subjungimus hic characterem emendatum a clo *Blume* benigne communicatum: „ZALACCA. *Spathae* communes plures. *Flores* dioici; masculi amentacei, feminei dense spicati. *Cal.* trifidus. *Corolla* tubulosa, trifida. *Masc.*: Stam. 6; filamentis basi connatis. *Antherae* erectae. *Fem.*: Stam. sterilia 6, in tubum connata. *Germ.* triovulatum. *Stylus* trifidus. *Fructus* squamis obversis loricate, unilocularis, trispermus. *Sem.* arillata. *Albumen* solidum, ad verticem canali perforatum. *Embryo* basilaris. Palma frondibus multis, congestis, radicalibus, magnis, erectis, pinnatis; petiolis rhachibusque subtus spinis longis horridis; spadicebus inter frondes emersis, spathis laceris siccis involucrentis. Genus hocce imprimis habitu differt a CALAMO, cuius species omnes caudice plus minus elongato, plerumque sarmentoso gaudent, dum in ZALACCA frondes radicales sint. Accedunt